

OSIUS
DE
CHRISTIAN. III.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

35,-161.-8°
(LN bis 79)
DA BOX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

ELEGIA
DE LAVDIBVS INclyti herois Chriſtiani Regis Daniæ, &c. à Hieronymo Oſio ab eodem Rege Poeta Laureato ſcripta ad Inclytum D. Fridericum Regem Daniæ, &c. & illuſtriſsimum Ducem Magnum, ac Iohannem, &c. filios.

VVitebergæ excudit
Vitus Creutzer.

Anno 1559.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

ELEGIA.

EST pietas autore Deo lugere parentes,
Eripit hos nobis quando ſuprema dies.
Et deſiderio moeſtos haurire dolores,
Quo turbata memor corda fatiget amor.
Eſtq; Deo pietas accepta dolore teneri
Gnatos, alter obit cùm ſua fata parens.
Nec tantum te corda decet mœroribus angi
Ortis morte patris Rex Friderice tui.
Regna dolere ſimul tibi iuſtè tradita debent,
Amiſere patrem quæ uiduata ſuum.
Amiſere ſuum quæ lumen, & orba laborant
Hoc heröe, ſtatus quo duce proſper erat.
Quo duce pax auguſta decus, quo ſceptra gerebat
Imperij, eſt nec uim publica paſſa ſalus.
Verum oculo licet illa ſuo nunc orba laboret
Luctu, ſpes tamen hæc mite leuamen habet:
Te ſucceſſorem patriæ uirtutis alumnum
Nouit, teq; patrem gaudet habere ſuum.
Te, non degenerem quem mens generoſa fatetur
Exemplis, quæ ſunt non niſi laudis opus.
Tu, fratreſq; tui, ac præſtans uirtute uirago
Mater lugendo flebile fertis onus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

At mœſti ipſe modum Deus exigit eſſe doloris,
Mors patris extincti quem tibi iure mouet.
Vult nos imperio parere, relinquere uitam
Nos hanc quando iubet, ſumma ſubitq; dies.
Nec iuſſos migrare dolor nos impius angat,
Deſperata ſalus quo dominante cadat.
Vult meminiſſe ſimul nos ipſe in morte parentum,
Ad bona tranſierint quæ monitore Deo.
Hæc de patre tuo ſelici morte beato,
Inprimis memori mente notare decet.
Spectat ad hunc ſiquidem uerè ſententia dicti,
Vatidico Pſaltes quod ſacer ore canit:
Felix gnate Dei qui te ducente uocatus,
In terra liber corpus inane locat
Te ductore domus ſuperæ qui limina linquens
Exuuias animæ parte ſuperſtes adit.
Talis erat uiuens poſt mortem laude ſuperſtes
Perpetuò genitor non moriente tuus.
In toto uitæ curſu ſine crimine morum
Vixit, & à uicijs mens aliena fuit.
Inq; Dei uera uitam agnitione peregit,
Sincera coluit te pietate Deus.
Deinde bonum Regem tua quod præſtare uoluntas
Poſtulat, in regno præſtitit ipſe ſuo.
Iuſticiæq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

Iuſticiæq; decus fuco tutatus ab omni,
Adſeruit legum iura potente manu.
Inq; manu tenuit diuina uolumina Legis,
Ac diſciplinæ tutor, & autor erat.
Vtraq; regnandi dabat illi Tabula *normam*
Legis, *& in rerum mole ferebat opem.*
Rectè Euangelij *populis oracula tradi*
Curauit, Deus *hoc qua ratione iubet.*
Impiaq; è templis idola, Deûmq; *furorem*
Fictilium exploſit, nec tulit eſſe Deos.
Teq; Dei *laudem cultu temerare profano*
Auſe, feri tua non dogmata Papa *tulit.*
Teq; *ſuo è regno diuini adſertor honoris*
Expulit, & Chriſto *reddidit ipſe locum.*
Dogma ſuperſtitio uerum mentita, beato
Exulat à regno Dania *clara tuo.*
Relligionis honor plantatæ ſemine uerbi
Diuini ſequitur te tribuente decus,
Teq; *locum ſibi dante uiget, ſpendetq; per oras*
Vndiq; ſe cumulans laude potente tuas.
Te Deus *auguſto uult inclareſcere regno,*
Vnde tibi eximios dat pietate uiros.
Qui uirtute decus famæ æquant nobile cœlo,
Et ſunt heroum gloria, lumen, honos.

Qualis erat uiuens, & erit poſt fata perennis
Laude, tui imperij cui data ſumma fuit.
Quem nunc ad regni commercia fine carentis
Tranſtulit, ut ſecum uiuat adusq;, Deus.
Cui ceu nomen erat deductum à nomine Chriſti,
Sic uerè Chriſto dedita corda tulit.
Multa uiri meritum monumenta loquuntur honorē,
Quem uetat æterno nomine fama mori.
Ipſius eſt largo fundata Academia ſumptu,
Quis credat græcè Danica regna loqui?
Hoſpitium exulibus tribuit clementia Muſis
Illius, in ſcopulis regnat Apollo maris.
Barbaries hoc pulſa fugam dominante capeßit,
Et gemit exilij damna pudenda ſui.
Et non eſſe locum decus omne prementibus auſis,
Muſarumq; choro ſceptra gerente dolet.
Neptuni famulas ubi quondam ducere remos
Quis uideat, uitreas ſiue ſecare uias.
Vimine ſeu laceris naßis ſarcire ruinam
Nymphas, cœruleo ludere ſiue freto:
Hâc nunc nauigio uectas geſtire Camœnas,
Et iactare piè regna notare licet.
Non his terra datur modo Danica commoda ſedes,
AEquoris his etiam regia tuta patet.

Ampla

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

Ampla uiros regio præſtantes Danica donis
Virtutum ſumptu diuite mater alit.
Eſt auguſta quibus Muſarum gloria curæ,
Et quos ingenij laudibus ornat honos.
Qui Latio, Graioq; ſono uariare loquelas
Poſſunt, hoc ratio ſi qua ſequenda iubet.
Quiq; tenent doctas, honor eſt qui maximus, artes,
Conſilio magnas reſq; ſagace gerunt.
Te Deus auguſto ſinit aurea ſecula regno
Viuere, uirtutum Dania dote potens.
Antè dedit patrem tibi, qui pietatis honorem
Et poſt fata mori neſcius autor habet.
Quo regnante decus patriæ laudabile uires
Hauſit, & in regno pax dominata fuit.
Hoc autore tibi uelut aurea contigit ætas,
ô gens ô tanti laude beata ducis,
Qui moriens gnatum regni præfecit habenis,
Qui patris exemplo tradita regna gerit.
Turcica cœleſtes doctrinas arma uidemus
Deleuiſſe, furor quà ſuus uſq; uenit.
Quàq; Aſiæ uaſtas tenet incola barbarus urbes,
Aut diuerſa locis oppida Graia iacent.
Maxima pars uaſti regnantem ſuſtinet orbis
Barbariem, quæ nunc undiq; bella mouet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

Gallica nunc acuit pugnace potentia uires
Robore, cumq; ſuo conſerit hoſte manus.
Sic turbare nouo parat ardens Anglia pacem
Motu, regnandi bella cupido ciet.
Vngaricas ui Turca premit crudeliter urbes,
Pannonis humano terra cruore madet.
Moſcouios patitur Liuonia mœſta furores,
Et tolerat lapſæ triſte ſalutis onus.
Diſsidet immani ſecum Germania motu,
Armat & aduerſas in ſua membra manus.
Nullaq; pars mundi non belli accenſa tumultu eſt,
Vndiq; uim Mauors pace iacente parat.
Teutonicã ergo manent non parua pericula gentẽ,
Quæ nunc ante fores triſtior eſſe uidet.
Imminet huic etiam regnis inimica beatis
Barbaries, illam nî Deus ipſe premat,
Nî Deus auertat metuendos undiq; caſus,
Iram cui leuitas gentis ubiq; mouet.
Cui cauſam pœnæ celerandæ odioſa miniſtrant
Crimina, nunc quorum feruet ubiq; lues.
Creſcit & in uicium ruit omne licentia morum,
Et peccare metu cœca cupido uacat.
Stulta ciet ſibimet triſtes Germania pœnas,
Quas non deſipiens eſſe propinqua uidet.

Doctri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

Doctrinæ ſedem maris ergo ſciamus in ipſis,
Conceſſam ſcopulis eſſe datore Deo.
Eius eat totum ne lux extincta per orbem,
Sed Chriſti maneat nidus, & ora gregi.
Exulet ut paßim magnis Eccleſia regnis,
Non tamen hoſpitij non locus eſſe poteſt.
Illius ut tumidis fluctu iactetur in undis
Cymba, Deo fruſtra præſide turbo fremit.
Vt Deus Halcyoni nullis turbata procellis
Stagna dat, hæc partu quando laborat, aui.
Et placidas ægræ ſinit ire laboribus auras,
Nullaq; uis moto turbine miſcet aquas.
Dura gelu quamuis terras induret, & undas,
Et ſæuo paßim frigore pugnet hyems:
Sic auguſta tuæ patriæ autor tempora pacis,
Rege parente tuo Rex Friderice dedit.
Nulla fuit uaſti pars bello immunior orbis,
Pax uelut imperio candida præſes erat.
Sæuit ubiq; furor belli, uerſatq; Tyrannos,
Inſonteſq; neci mittere cœde parat.
Miſcet ubiq; feros diſcordia lite Sophiſtas,
Ambitio dempto iurgia fine mouet.
Impia dißidio ſectarum Lerna tumultus
Excitat, & rixas ore minace ſerit:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

Dania ſola tuo ſine diris auſpice bellis
Patre fuit, iuuit patria regna Deus.
Nullaq; diſsidijs pagos turbauit, & urbes
Seditio, uetuit prælia pacis amor.
Rege parente tuo fuit aurea gentibus ætas,
Te quoq; quæ patriæ regna gerente manet
Hæc præclara Dei nemo non eſſe fatetur
Munera, qui Regnis præſidet ipſe pijs.
Et iuuat auxilio faſces, molemq; gubernat
Imperij, pietas ſi regit æqua duces.
Huic ſunt unde pio dicendæ pectore grates,
Debet & illius nomen honore coli.
Quòd tibi conceſsit placido felicia curſu
Tempora, magnanimis Dania culta uiris.
Quòdq; dedit patrem, pietas cui regula morum
Semper erat, uitæ dux & ad omne decus.
Cuiq; miniſtrabat normam generoſa gerendi
Imperium uirtus, rebus opemq; tulit.
His cui pro meritis magni debentur honores,
Gratiaq;, huic quam non finiat ulla dies.
Illius hæc ſiquidem pietati accepta referri
Dona decet, quibus eſt Danicus auctus honos.
Præmia uirtutum patriæ pulcerrima patri
Hæc tribuit (dictis Dania crede) Deus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

Ob ducis ille pij uirtutem ſæpe labores
Mitigat imperij, Regnaq; faſce leuat.
Iuuit Ioſaphatæ ceu uota, pioſq; labores,
Et placido curſu tempora læta dedit.
Auxilioq; tulit curarum mite leuamen,
Hunc oneraſſe quibus res obeunda poteſt.
Aut Ezechiæ ſine turbine ſecula belli
Vt tribuit, nec non omne leuauit onus.
Hunc quoties preßit duro ſors aſpera caſu,
Et tetigit uitam clade nocente labor:
Rex Friderice tuo ſic patri aliena tumultu
Belli Regna, tetris dißidijſq; dedit,
Viuit apud Reges nunc hos qui ſede beatus
Cœleſti, fruitur colloquioq; Dei.
Et pòſt inter eos omni celebrabitur æuo,
Nec non in terris laude ſuperſtes erit.
AEthercam æternæ uitæ hæres incolet arcem,
Interea huic famæ nec morietur honos.
Hac uim laude rogi funeſtam euadere famæ,
Quæ poſt exequias nomine uiua manet,
Gloria maior, Alexandri quàm facta ſequendo
Fortia, ſeu miſeris laudibus eſſe parem.
Herculeumue referre decus, famamq; mereri,
Quæ geſtis nomen rebus inane parit.

Agnitio

Agnitio quam uera Dei, pietaſq; meretur
Grata Deo, magnum laus modo pondus habet.
Nobilitatq; uiros nullo moritura ſub æuo,
Cuius & in cœlo præmia magna manent.
Heroëm pingit ſua gloria qualis Achillem,
Aut inſigni alios ornat honore uiros:
Illa caduca Dei ſupremi neſcia ſplendet,
Nec niſi uitæ huius præmia ſemper habet.
At ſibi quam peperit uitæ heros Danicus æuo,
Laudem æterna Deo præmia dante manent.
Quem ceu uirtutes alias coluiſſe loquuntur
Res geſtæ, Vatum quas monumenta docent.
Sic labes caſtos huic nulla libidine mores
Polluit, huc ſcelerum nullus adegit amor.
Cura pudiciciæ ſocios huic rexit amores,
Nec mentem tenuit delicioſa Venus.
Et quia iuſticiæ pietas acuebat amorem,
Eſt ſolitus iudex æquus adeſſe foro.
Adſeruitq;, dolo, aut ui quos iniuria læſit,
Indicio pœnas quæ patefacta dedit.
Vtq; piæ meruit laudata modeſtia uitæ
Famæ inſigne decus, quæ ſine fine manet.
Sic fuit exacto placidiſsimus exitus æuo,
Vltima reſpondit moribus hora pijs.

Suſtinuit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

Suſtinuit mœſtos ut morbo oriente dolores,
Qui de morte notam iam ſubeunte dedit:
Ille Deo ſeſe commendat, opemq; precatur,
Ac migrare, uocant ſi ſua fata, cupit.
Et fidens Chriſto uim ſuſtinet auſpice morbi,
Ac tolerat patiens omne doloris onus.
Et probat æternæ ſibi iam primordia uitæ
Eſſe, preces ardens dum ſine fine facit.
Et ſentire refert ſeſe ſolatia læto
Pectore, quæ cieas tu ſibi gnate Dei.
Inq; ſuum cor amore pio transfuderis autor
Iuſticiæ, per quam, non aliunde ſalus.
Hac luctante fide, atq; hac ſpe ſolante dolores,
Sedis ad ætheræ limina uictor adit.
Hæc dubitare uetant nos argumenta, putemus
Quin cœli hæredem iura tenere uirum.
Cumq; Deo, atq; pijs alijs hanc regibus arcem,
Angelicoq; choro mutua uerba loqui.
Hæc Matri minuat, Gnatis hæc cauſa dolorem,
Quo nimium urgeri res odioſa Deo eſt.
Qui iubet eſſe modum, finemq; ferenda dolendi
Fata, datas metas tranſiluiſſe nocet.
Vos exempla patris gnati hæc æquare ſequendo
Virtutem memores laudis amore decet.

AEmula

AEmula mens ergo patrium tueatur honorem:
Et mores æqua dexteritate regat.
Vt patris exemplo laudi contraria uitent
Facta, decus gnatos patris honore trahi.
More Deum pietas colat ardens ueſtra paterno,
Reſq; modo iuſtas conueniente gerat.
Et pariter caſtos laudum arguat æmula mores,
Ac uos unanimi mente magiſtra regat.
Iuſtis iudicijs populi componite lites,
Damnaq; perpeßis ferte decenter opem.
Et uobis etiam felicia tempora current,
Et dabit imperij ſceptra togata Deus.
Poſteritas autore Deo ſeruata piorum,
Auguſto uitæ res gerit uſa ſtatu.
Oro Deum incolumes ut uos, uiduamq; parentem
Seruet, & in tali uos ſtatione regat.
Et faciat florere diu felicibus annis,
Auxilioq; ſuo Danica regna tegat.

ΤΈΛΟΣ.

Hanc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

HAnc D. Præceptoris Philippi Melanthonis diſpoſitionem materiæ à me carmine redditæ, ideo Elegiæ de Inclyti D. Chriſtiani Regis Daniæ laudibus ſcriptæ adiungere volui, ut hanc Elegiam eruditi propter D. Præceptorem eo libentius legant, ac eius de optimi Regis virtute, atq; pietate iudicium cognoſcant. Deinde ut uideant, me non res tantum ab eo uertendas mihi propoſitas, ſed uerba eadem, quantum fieri potuit, ſedulo retinuiſſe, & à ſententia Præceptoris non procul diſceſsiſſe, aut euagatum eſſe, licet alicubi amplificatione opus fuerit.

Hanc ob cauſam & ipſe D. Præceptor mihi perpetua fide,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

ac obſeruantia colendiſsimus, & alij, quod diſpoſitionem materiæ propoſitę non iuſſus prȩlo una committere, ac publicare ſum auſus, condonabunt.

AD REGEM DANIcum Fridericum, &c.

EST pietas lugere parentes, & dolore ac deſiderio eorum adfici in morte, Et placet Deo hæc στοργὴ in natis erga parentes. Nec te tantum ſed etiam regna tua dolere decet, quia patrem amiſerunt.

Sed vult Deus eius doloris modum eſſe, vult nos imperio ſuo parere, ut diſcedamus ex hac uita cum euocamur, Vult etiam

 nos in

res in morte piorum conſidera-
re, ad quæ bona tranſierint. Hæc
de tuo patre maxime cogitan-
da ſunt quia uere ad eum perti-
net dictum. Beati mortui qui in
Domino moriuntur.

Fœlix gnate Dei qui te ducente uocatus,
In terra liber corpus inane locat.

Talis fuit pater tuus. Vixit
in toto curſu vitæ in agnitione
vera Dei, & eum vera pietatē
coluit. Deinde in regno fecit
quod bonum Regem Deus vult
facere. Tenuit librum Legis in
manu ſua, & norma fuit ei v-
traq; Tabula Legis. Recte do-
ceri curauit Euangelium, dele-
uit Idola fictilia numina.

 Ipſius

Ipſius eſt largo fundata Academia ſumptu,
Quis credat græcè Danica regna loqui?

AMPLIFICATIO.

Videmus Turcica arma deleuiſſe doctrinas in Aſia, & græcorum vrbibus. Et timemus idem in his terris fore. Deum ergo dediſſe ſedem doctrinis ſciamus in ſcopulis maris, ne prorſus extinguatur.

SIMILITVDO.

Vt Deus dat Halcyoni parienti in ſcopulis maris tranquillios dies, auras placidas: Ita dedit iam tuæ patriæ regnante patre. Nulla pars orbis fuit tranquillior. Vbiq; bella, & ſecta-

rum

rum diſsidia ſunt. Sola Dania, regnante tuo patre fuit ſine bellis, & ſine diſsidijs. Ibi fuit aurea ætas. Hæc ſunt munera Dei, & Deo grates dicendæ ſunt.

Sed tamen & ipſi Regi gratia debetur, quia Deus eius pietati hoc tribuit. Sicut dedit felicia tempora Ioſaphat, & Ezechiæ. Apud hos Reges nunc uiuit in cælo, & inter eos ſemper celebrabitur.

Hæc laus maior eſt quam eſſe Herculi aut Alexandro ſimilem.

Fuerunt & mores caſti, & iuſte rexit forum.

Exitus etiam uitæ fuit placidiſsimus. In morbo quotidie ſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

Deo commendauit, & oſtendit ſe habere exordia vitæ æternæ, cum lætus diceret ſe ſentire ſolaria, quæ Gnatus Dei tranſfudit in cor ſuum.

CONCLVSIO.

Non igitur dubitemus, quin ſit in cætu cæleſti. Hæc cauſa luctu Matri, & natis leniat.

ADHORTATIO.

Exemplum ad uos pertinet curate ut uirtutem patris imitentur veſtri mores, Deum colite paternis exemplis, & ſitis caſti, & concordes, & iuſtis iuditijs populum regite. Sic Deus vobis etiam dabit fœlicia regna.

Sicut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

Sicut ſcriptum eſt GENER. RECTORVM BENEDICETVR.

Ευσεβέων παίδεσσι τὰ λώια, δυσσεβέων δ᾽ οὔ.

PRECATIO.

Oro Deum, ut vos ſeruet & gubernet, & faciat diu florere DANICA REGNA, Amen.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 79 [35,-161 8°]